Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1447
Quelle:
Copyright:

cilium R^mi patris et domini Cantuariensis tocius Anglie Primatis (Henr. Cichelaei) *Ambasiator* &c. Magnis eum laudibus prosequitur noster, Patremque suum identidem compellat, *quia sub tui*, ait, *magistratus culmen mea cepit filiacio indigna et immerita apicem Doctoratus;* illibatissimae dicit fuisse puritatis; contra *Wiclefum*, quem iterum *Spinam roseti Oxonie* vocat, acerrime pugnasse; palam *Constantiae* professum esse: *Se huc non venisse ad placendum hominibus; velut hic plerique dolenter faciunt;* denique piissima ejus sub mortem sensa refert.

Fol. 302. p. 2. *Sermo V. factus Constantie in obitu domini Episcopi Sarispurg. de Anglia per dictum D. Richardum tempore Concilij generalis.* Et quidem a. 1417. 13. *Sept.* obierat enim *Robertus Halam* Card. Ep. *Sarisberiensis* die 4. ejusd. in arce *Gottliebensi*, quae horae dimidio abest a *Constantia.* Initium: *O Maiestatis Regie, patrum et dominorum preclara conuencio, Cetusque sacerrime, quam multis amaritudinibus humane felicitatis dulcedo respersa est!* Inter alia: *Eya ergo o annulati digitis et in capitibus prestulari dyademate coruscantes, eya o decorati pileis et in sedibus doctorali cacumine radiantes lacrimosis obtutibus propositum vobis spectaculum sollerter intuemini. — Cum heri ad octo dies Rev^mi huius patris a castro vicino, in quo mortales clausit oculos, ad sanctuarij huius locum, vbi ultime sibi pecijt dormicionis cubile, mestorum humeris caro mortua incipiebatur deferri, visa non erat ibi lacrimarum penuria, — vlulabant pauperes et amare deflebant, se tam optimum amisisse pietatis patronum* &c. At mox, quod dolendum, abstinuit Librarius manum. Videri tamen potest de magno Reformationis ecclesiasticae Promotore *Roberto Fr. Godwinus* in *Comment. de Praesulib. Angliae. Lond.* 1616. p. 404. 4. ubi etiam p. 357. inter *Lincolnienses* Oratoris nostri res refert, non tamen Scripta, quae me hic nomini Anglico devotus detexisse et indicasse gaudeo.

DCXXVI.

Codex chartaceus boh. Sec. XVI. Folior. 90. 8. inscribitur: *Smysl a Vmysl Krystuw geho wlastnj: Swatosti wečeřе geho.* Quod est, ut me docuit Cl. *Fortunat. Durichius*: Sensus et Intentio Christi ejus propria: Sacramenti Coenae illius. Additur: *Anno Domini* 1562. et *I. A.* quod *Johannem Augustam* Unionis Fratrum *Bohemicae* sic dictum Episcopum sive Seniorem interpretor, cujus Acta et Scripta legimus inter *Effigies Viror. Erudit. Boh. et Morav.* P. II. p. 60. ubi tamen praesens Libellus e Bibliotheca *Ambrasiana* ad nos delatus non memoratur. Tradit is absque omni acerbitate de iis, quae circa Coenam Dominicam credenda sint, videlicet: esse Panem benedictum et Calicem benedictum Christi ad manducandum et bibendum, esse Corpus Christi illud naturale, quod nec- R. 1273